



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

IV. Ex Academia manavit isthaec doctrina.

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

A tentu; ne seipfam quippe à se intellectum iri nisi determinata foret, infinitum enim comprehendendi non posse. Quotiescumque igitur Deum omnipotentem Origenes dixerit, res omnes quæ ab eo creatæ sunt in ejus esse potestate; non vero infinitum rerum numerum ab eo creati, & ad libitum regi posse intellexerit; hoc est, esse quidem eum *παντοκράτωρα*, at *παντοδύναμον* non esse. Atque hac sane sententia ex his ejus verbis satis extat: *Deus Patet omnipotens est, eo quod potentatam omnium tenet, idest cæli & terre, Solis & Luna, & stellarum omniumque qua in ipsis sunt.* Orig. lib. 1. De princip. cap. 2.

B II. Itaque hoc ei crimen objicit Theophilus Alexandrinus in prima Paschali Epistola; cui testificando disertum profert è primo De principijs libro fragmentum Iustinianus Imperator, quod in Latina Rufini interpretatione libro 2. cap. 2. non parum deformatum reperitur. Præterea idcirco mundum Deo coæternum credidisse illum refert Methodius apud Photium Cod. 235, quod semper fuerit *παντοκράτωρ*, minime autem *παντοδύναμος* esse posse *αὐτὸν ἢ πᾶσι δυνάμιον*. Vnde sequitur omnipotentem esse, non quod omnia possit efficere, sed quod in omnia quæ sunt potestatem habeat. Rufinus Palæstinus in libello De fide, quem edidit Sirmundus: *impie, inquit, Origenes, ac nefarie fatus est, qui sic dixit: Non omnia qua voluit Deus fecit, sed ea tantum qua potuit continere, & comprehendere. Qui cum hoc dixit, ademit Domino cunctorum potentiam, quasi ex parte dimidia ei faciendi potestas daretur. Nam si continendi, ac sibi qua faceret subjugandi non habet, ut ille asimat, facultatem, ne creandi quidem scilicet potestatem habebit. Nam qui creandi facultatem habet, & subjugandi sibi creata similiter habebit.*

C III. Vanum ergo Origeni patrociniū præbet Halloxius, id sibi velle Origenem prædicans, *cuncta Deo esse subiecta, & ejus omnipotentia in creando aequalem esse sapientiam in gubernando, ita ut numquam fieri possit, ut tot tantaque creet, quin tot & tanta gubernare possit; ut sapientia gubernatoris æquiparetur potentia conditoris.* Quod si in eadem quaestione celsipantium numerus facere aliquid potest pro causa Origenis, dabimus Petrum Abaelardum, hominem in quieti ingenij, & novarum opinionum studiosi, qui libr. 3. Introduc. Theolog. cap. 5. ita disputat: *Quantum igitur estimo, cum id tantum Deus facere possit, quod eum facere convenit, nec eum quidquam facere convenit, quod facere prætermittat, profecto id solum eum posse facere arbitror, quod quandoque facit: licet hac nostra opinio paucos aut nullos habeat assentatores, & plurimum dictis Sanctorum, & aliquantulum à ratione dissentire videatur.* Dabimus & Gulielmum Parisiensem, qui plures à Deo mundos procreari posse negabat. Hall. lib. 4. Origen. def. Quæst. 6.

D IV. Videntur ea profecto è Vereris Academia orta decretis: docuit enim Plato, quem fere assecratur Adamantius, Deum esse ipsum animum mundi, omnia quæ in mundo sunt procurantem & administrantem. Cicero i. Academ. Quæst. Partes autem esse mundi (putant Academici) omnia qua insit in eo, que natura sentiente teneantur, in qua ratio perfecta insit, que sit eadem sempiterna: nihil enim valentius esse à quo intreat. *Quam vim animum esse dicunt mundi, eandemque esse mentem, sapientiamque perfectam, quam Deum appellant, omniumque rerum que sunt ei subiecta quasi prædentiam quamdam, procurantem caelestia maxime, deinde in terris ea que pertinent ad homines, quam interdam necessitatem appellant, quia nihil aliter esse possit, atque ab ea constitutum sit.* Atqui rei uniuscujusque animus huic animandæ & regendæ par, vim suam ad plura animanda non potest exerece; intra rei enim sibi subiectæ terminos hæc ipsius vis cohibetur. E Animus ergo mundi, qui juxta Platonem Deus ipse est, potestatem suam ad aliud animandum extra mundum proferre non potest; igitur ne ad creandum quidem. Quapropter Plotinus nihil creare Deum posse decrevit, præterquam quod creavit. Plot. Enn. 1. lib. 3. cap. 12.

F V. Deo corpus ab Origene adscriptum fuisse nonnulla persuadere possunt. Primum argumentatio illa, quam è libr. 3. *αὐτὸν ἀρχὴν* adducit Hieronymus Epist. 59. ad Avit. cap. 3. qua animam corpore carituram demonstrare studet Adamantius, quia Sancti Deo similes futuri sunt, juxta illud Christi: *Vt quo modo ego & tu unum sumus, sic & isti in nobis unum sint;* Deus autem est incorporeus. Quod ipsum reperire licet Homil. 1. in Genes. & libr. 6. contr. Cels. At ostendemus in sequentibus, animam licet incorporealem statuere videatur, talem tamen respectu crassiorum corporum ab eo prædicari, revera corpore præditam decerni: quemadmodum vel ex priorè capite librorum De princip. perspicuum est, ubi vim vocis hujus, *ἀσώματος* exponens, accipi docet pro eo quod non est simile huic nostro crassiori, & visibili corpori, sed quod est naturaliter subtile & velut aura tenue. Deus igitur cui anima similis est, juxta Origenem reapse corporalis est, sed graviorum tantum ratione corporum incorporeus. Hieronymus præterea cap. 3. memorate ad Avitum Epistola, ait Origenem ad extremum libri 3. *αὐτὸν ἀρχὴν* hæc intulisse: *Et erit Deus omnia in omnibus, ut universa natura corporea redigatur in eam substantiam qua omnibus melior est, in divinam scilicet qua nulla est melior.* Et sub finem ejusdem Epistola refert Origenem libr. 4. *αὐτὸν ἀρχὴν* conjungere omnes rationabiles naturas, idest Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Angelos, Potestates, Dominationes, cæterasque Virtutes, ipsum quoque hominem secundum animæ dignitatem minus esse substantia. Id ipsum ex ejus doctrina consequi probat Theophilus Alexandrinus i. Pasch.